

dimensum. Partes habet. Dividitur, dividuam habet essentiam. Dividuas vires. Dividuas actiones. Semper patitur. Alteratur, mutatur. Numquam idem est. In non ens abit. Semper non ens dici potest. Verum ens non est umquam. Quid ergo tali corpori, contrarium suum, ut contrariis utriusque iungi posse dicetur? Vel verius iungi dicetur non posse, nisi contraria eorum omnia temperentur. Sed quomodo incorporea temperentur, quæ numquam vel patiuntur, vel alterantur. Quæ cum semper agant, corpora semper patiantur, inter utrumque nulla videtur esse posse communicatio, nulla contemperatio, aut commistio. Et si quæ sit, illa, in corpus semper aget. Hæc ab illis semper patietur, semper alterabitur, semper mutabitur, donec in non ens totum abeat. Non igitur incorporea corpori iungi poterunt, sine corporis corruptione. At ut corpus servetur: mundus conservetur, universitas rerum constet, quo usque placitum illi fuerit, qui universa condidit, numquam incorporea, corporibus iungi oportet. Corpus autem per se non stat, non est ἀθύπόστατον est ἐτερόστατον, ab alio stans. A quo nam igitur stabit? Ab eo nimirum, quod ipsum stare faciat. Id autem erit, quod vires id faciendi habeat, et ab eis actionem in corpus intendat, et extendat, quæ ipsum sustentet, sistat, subsistere, et consistere, et stare faciat. Hoc autem corpus esse nequit. Iisdem enim adminiculis, ad fulcris ipsum. Hæc autem si corpora essent, progressum hunc de corpore ad corpus in infinitum abire esset necesse. Neque item incorporeum est. Tum quia corpori est contrarium, eique iungi nequit. Tum quia eius actione corpus in nihilum regeret. In idem ergo recidit quæstio. Quid igitur illud erit, quod corpus servet, et servare queat? Aliquid nimirum, quod in corpus salutem hanc operari queat. Eamque corpori indere. At hæc sine actione, nequaquam fiet. Actio autem omnis per quendam sit contactum. Continget igitur ipsum corpus, id quod ipsum servare debet. At id, corpus nequaquam est, ut est ostensum. Neque itidem est incorporeum, rationibus modo deductis. Præter autem duas hasce naturas, corpus, et incorporeum, veterum plurimi ignorarunt. An vero, et tertia quædam in universitate erit natura, non corporea, non incorporea, sed utrumque et incorporea, et corporea, ita ut media quædam sit inter utramque. Incorporeo suo, ab incorporea pendens. Corporeo vero ad corpus vergens. Et sit proprietatum utriusque particeps, ita ut videatur, non quidem ex extremis mista, non ex contrariis temperata, non e partibus composita, sed mirando quodam modo, hæc omnia sit. Et mista, et non mista, temperata, et non temperata, composita, et non composita. Ne iterum, dum misionem, temperationem, compositionem ex duobus illis quærimus in infinitum amandemur. Necesse ergo est, quia incorporea sit, incorporeorum proprietates reneat. Non simplicissimas illas, quales in vere incorporeis sunt, sed gradu inferiore. Omne namque productum (quod toties repetimus) non idem cum producente est, sed ei est simile, quatenus ab illo identitatis suæ aliquid aufert. Et quia ab illo in alteritatem cadit, sit etiam ei dissimile. Similitudinem ergo quandam veræ incorporalitatibus habet. Sed non est sicuti superiora, vere incorporea. Illa ab omni corpore longe absunt. Hæc quia ab illis cadit, corporibus iungitur. Ut autem similis incorporeis sit, identitatis illorum, necesse est fieri participem. Fit autem talis, si sui aliquid incorporeum habeat quoad illa accedat proxima. Summitate nempe sua. Quæ et mole careat, et sit ideo impartibilis. Et ideo indivisibilis, et ideo impassibilis. Et ideo inalterabilis, et ideo immutabilis, et ideo ut sit ens semper, et in non ens nunquam decidat. Qua vero corpori iungi potest, corpori sit assimilis est necesse, ut eius nimirum aliquid in non ens decidat: non semper sit ens: sit mutabilis: sit alterabilis: sit divisibilis, sit partibilis: sit in mole, et circa molem versetur. Et sicuti in prioribus proprietatibus, quemadmodum supera est in ævo, et in æternitate. Sic his secundis proprietatibus, corpori proximis sit, temporaria est necesse. At si essentia sua, ut corpus, sit temporaria: et vires, et actiones temporarias habebit. Atque ita in non ens abire aliquando, ac perire poterit. Atque ita nihil incorporei: nullas ei similes habebit proprietates, et tota erit corporea. Quod est contra demonstrata. Si vero, et essentia eius, et vires, et actiones, incorporeæ fuerint, aut incorporeis similes, nulla sui parte corporibus hærebit. Necesse ergo tria hæc essentiam, vires, actionesque, ita partiri, ut alia sit incorporeis similis, essentia